

tim fieri faceremus eisdem Saracenis eorum plenariam satisfactio-  
nem, per Venetos ad presens existentes ac conversantes in regno  
Armenie. Alioquin a dictis Venetis violenter extorquerent pecu-  
niā infrascriptam, vellent, nollent. Unde, nos considerantes pe-  
ricula et damna eminentia dictis vestris Venetis ob talem vio-  
lentiam, propter commodum et honorem vestrorum Venetorum  
integre persolvi fecimus infrascriptis Saracenis monetam infrascri-  
ptam, nomine et vice infrascriptorum vestrorum Venetorum, se-  
cundum quod Saraceni firmaverunt se se debere recipere a vestris  
Venetis. Bene enim novimus ac certitudinaliter noseimus quod  
si infrascripta debita scripsissemus predecessori vestro per *Ber-*  
*tucium Gsimano* procuratorem Saracenorum, quia sicut tunc de  
ducali mandato fuit integre persolutum illis Saracenis peten-  
tibus a quibusdam vestris Venetis, ita indubitanter sactisfactum  
fuisset Saracenis infrascriptis. Nam fama pullulante per orbem,  
inter alias communitates vestra obtinet principatum, scilicet in  
tribuendo unicuique justicie complementum. Qua propter frater-  
nitatem ac dilectionem vestram requirimus et rogamus, quod  
sicut pro honore et commodo vestrorum Venetorum infrascriptorum  
monetam persolvimus infrascriptis Saracenis; ita de vestro ducali  
mandato existat, quod eamdem monetam libere et gratiose va-  
leamus habere; scientes quod, quando nomine infrascriptorum  
vestrorum Venetorum persolvimus monetam infrascriptam quod  
ordinavimus primo, quod quilibet Saracenus daret suum cirogra-  
phum propria manu scriptum quilibet Veneto infrascripto per  
se secundum consuetudinem eorum, quemadmodum factum fuit  
pro illis Venetis pro quibus idem Bertucius Grimani Venetias  
accessit. Et hoc fecimus fieri ad cautelam Venetorum debitorum  
que cirographa penes nos habemus. Alioquin si inrfascriptam  
monetam per nos solutam infrascriptis Saracenis nomine et vice  
vestrorum infrascriptorum Venetorum infra annum integraliter  
non receperimus, ex nunc vestre dominationi ipse declaramus,  
quod vestros Venetos existentes in regno nostro opportebit eam-  
dem monetam solvere integraliter cum expensis, secundum pacta  
et conventiones contenta in nostris privilegiis vobis concessis per  
nostros predecessores ac etiam per nos firmatis. — Veneti autem  
debentes Saracenis ut extrahere fecimus de dictis nostris quaternis